

est veritas in circuitu tuo : « Tua est terra, » quæ exceptit veritatem in circuitu tuo. Denique quid de illa pluvia factum est ? « Orbem terrarum et plenitudinem ejus tu fundasti; Aquilonem et maria tu creasti¹. » Non enim aliquid contra te valet, contra Creatorem suum. Et malitia quidem sua, per suæ voluntatis perversitatem sœvire potest mundus : numquid tamen excedit modum positum a Creatore, qui fecit omnia ? Quid ergo timeo Aquilonem ? quid timeo maria ? Est quidem in Aquilone diabolus, qui dixit : « Ponam sedem meam in Aquilonem, et ero similis Altissimo² : » sed humiliasti sicut vulneratum superbum. Ergo quod in illis tu fecisti, plus valet ad dominationem tuam, quam illorum voluntas ad malitiam suam. « Aquilonem et maria tu creasti. »

XIII. « Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt. » Montes isti intelliguntur, sed aliquid significant. « Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt. » Thabor interpretari dicitur Veniens lumen. Sed unde venit lumen de quo dictum est : « Vos estis lumen mundi³ : » nisi ab illo de quo dictum est : « Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum⁴? » Illud ergo lumen quod est lumen mundi, ab illo lumine venit quod non aliunde acceditur, ut timendum sit ne extinguatur. Ergo venit lumen ab illo, lucerna illa quæ non ponitur sub modio, sed super candelabrum, veniens lumen Thabor. Hermon autem interpretatur Anathema ejus. Merito venit lumen et factum est anathema ejus. Cujus, nisi diaboli, vulnerati, superbi ? Ut ergo illuminaremur, abs te datum est : ut anathema nobis esset, qui nos in suo errore et superbia detinebat, a te nobis est. Ergo « Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt : » non in meritis suis, sed, « In nomine tuo. » Dicent enim

¹ Psal. LXXXVIII, 13. — ² Isaï. XI, 13. — ³ Matth. V, 14. — ⁴ Joan. I, 9.

ENARRATIO I IN PSALMUM LXXXVIII, SERMO I. 261
isti : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriā : » propter mare saeviens : « Ne forte dicant gentes : Ubi est Deus eorum¹? »

XIV. « Tuum brachium cum potentia. » Nemo sibi aliquid arroget : « Tuum brachium cum potentia : » a te facti sumus, a te defensi sumus. « Tuum brachium cum potentia. Confirmetur manus tua, et exaltetur dextera tua². »

XV. « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ³. » Apparebit in fine justitia tua et judicium tuum : nunc occulta sunt ista. Et de judicio tuo dicitur in alio Psalmo, « Pro occultis filii⁴. » Erit manifestatio judicii tui et justitiae tuæ. Ponentur quidam ad dexteram, et quidam ad sinistram⁵ : et expavescunt infideles, cum viderint quod modo deridentes non credunt : gaudebunt justi, cum viderint quod modo non videntes credunt. « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ : utique in die judicii. Nunc ergo quid ? « Misericordia et veritas præeunt ante faciem tuam. » Præparationem sedis tuæ, justitiam tuam et judicium tuum venturum timerem, nisi antecederet te misericordia et veritas tua. Quid timeam in fine judicia tua, quando præcedente misericordia tua deles peccata mea, et exhibendo veritatem imples promissa tua? « Misericordia et veritas præeunt ante faciem tuam ? » Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas⁶.

XVI. In his omnibus non exultabimus? aut quod exultamus capiemus? aut verba sufficient laetitiae nostræ? aut lingua idonea erit explicare gaudium nostrum? Si ergo nulla verba sufficiunt : « Beatus populus sciens jubilatio nem⁷. » O beate popule, putas, intelligis jubilationem? nullo modo beatus es, nisi intelligas jubilationem. Quid

¹ Psal. CXII, secund. 1, 2. — ² Id. LXXXVIII, 14. — ³ Ibid. 15. — ⁴ Id. IX, 1. — ⁵ Matth. XXV, 33. — ⁶ Psal. XXIV, 20. — ⁷ Id. LXXXVIII, 16.

est, intelligas jubilationem? Scias unde gaudeas quod verbis explicare non possis. Gaudium enim tuum non de te, « Ut qui gloriatur, in Domino glorietur¹. » Noli ergo exultare in superbia tua, sed in gratia Dei. Vide ipsam gratiam tantam esse, cui lingua explicandæ non sit idonea, et intellexisti jubilationem.

XVII. Denique si intellexisti in gratia jubilationem, ipsius gratiæ audi commendationem. « Beatus certe populous sciens jubilationem. » Quam jubilationem? Vide si non de gratia, vide si non de Deo, et omnino non de te. « Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. » Thabor ille, Veniens lumen, nisi in lumine vultus tui ambulet, vento superbiae lucerna extinguitur. « Domine, in lumine vultus tui ambulabunt: et in nomine tuo exultabunt tota die². » Thabor ille et Hermon « In nomine tuo exultabunt: si volant, « Tota die, » in nomine tuo; si autem exultabunt in nomine suo, non tota die exultabunt. Non enim in gaudio perseverabunt, quando de se ipsis gaudebunt, et per superbiam cadent. Ergo ut tota die exultent, « In nomine tuo exultabunt: et in tua justitia exaltabuntur. » Non in sua justitia, sed « In tua; » ne sint zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Quidam enim notantur ab Apostolo, quod zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam; « Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, et non in lumine tuo exultantes, justitiae Dei non sunt subjecti³. » Sed unde? Quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Populus autem sciens jubilationem, (illi enim non secundum scientiam, beatus autem populus non nesciens, sed sciens jubilationem:) unde debet jubilare, unde debet exultare, nisi in nomine tuo, ambulans in lumine vultus tui? Et exaltari quidem merebitur, sed in tua jus-

¹ Cor. i, 31. — ² Psal. LXXXVIII, 17. — ³ Rom. x, 2, 3.

titia. Auferat de medio justitiam suam, et humilietur: veniet Dei justitia, et exaltabitur. « Et in tua justitia exaltabuntur. »

XVIII. « Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum⁴. » Quia tibi beneplacuit, non quia nos digni sumus.

XIX. « Quoniam Domini est susceptio. » Nam ego ut cumulus arenæ impulsus sum, ut caderem; et cecidissem, nisi Dominus suscepisset me. « Quoniam Domini est susceptio: et sancti Israël regis nostri⁵. » Ipse susceptio, ipse te illuminat: in ejus lumine tutus es, in ejus lumine ambulas, justitia ejus exaltaris. Ipse te suscepit, infirmitatem tuam ipse custodit, ipse te facit robustum de se, non de te.

XX. « Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti⁶. » Locutus es in aspectu tuo, » revelasti hoc Prophetis tuis. Ideo locutus es in aspectu, id est, in revelatione, unde Prophetæ Videntes dicebantur⁷. Viderunt quiddam intus, quod dicerent foris: et in occulto audierunt quod palam prædicaverunt. « Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et » dixisti: Posui adjutorium super potentem. » Intelligitis quem potentem. « Exaltavi electum de populo meo. » Intelligitis quem electum: quem jam gaudetis exaltatum.

XXI. « Inveni David servum meum⁸: » istum David, ex semine David. « In oleo sancto meo unxi eum. » De illo enim dicitur: « Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exaltationis præ participibus tuis⁹. »

XXII. « Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum¹⁰. » Secundum quod susceptio hominis facta est, secundum quod caro in utero Virginis

⁴ Psal. LXXXVIII, 18. — ⁵ Ibid. 19. — ⁶ Ibid. 20. — ⁷ Reg. IX, 9. —

⁸ Psal. LXXXVIII, 21. — ⁹ Id. XLIV, 8. — ¹⁰ Id. LXXXVIII, 22.

assumpta est⁴, secundum quod ab illo qui in forma Dei aequalis est Patri, forma servi suscepta est, et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis⁵.

XXIII. « Non proficiet inimicus in eo. » Sævit quidem inimicus, sed non proficiet in eo : solet quidem nocere, sed non nocebit. Quid est ergo quod affliget? Exercebit, non nocebit. Proderit sæviendo, quia in quos sævit, corronabuntur vincendo. Quid enim vincitur, si nihil contra nos sævit? Aut ubi adjutor noster Deus, si nos non dicimus? Inimicus ergo faciet quod suum est : sed « Non proficiet inimicus in eo ; et filius iniquitatis non apponet » nocere ei³. »

XXIV. « Et concidam inimicos ejus a facie illius⁴. » Conciduntur a conspiratione sua, et quod credunt conciduntur. Paulatim enim credunt, tanquam comminuto capite vituli, venient in potum populi Dei. Comminuit enim caput vituli Moyses, sparsit in aqua, et dedit bibere filii Israël⁵. Comminuuntur omnes infideles, credunt paulatim, et a populo Dei bibuntur, in corpus Christi trajiciuntur. « Et concidam inimicos ejus a facie illius; et » eos qui oderunt eum, fugabo : » ne noceant. Sed fu- » gatorum istorum forte aliqui dicunt : « Quo ibo a spi- » ritu tuo, et a facie tua quo fugiam⁶? » Et videntes non se habere quo fugiant ab Omnipotente, conversi fugiunt ad Omnipotentem. « Et eos qui oderunt eum, fugabo. »

XXV. « Et veritas mea et misericordia mea cum ipso » est⁷. » Universæ viæ Domini misericordia et veritas⁸. » Mementote, quantum potestis, quam sæpe nobis commendentur duo haec, ut reddamus illa Deo. Sicut enim ipse exhibuit nobis misericordiam, ut deleret peccata

¹ Luc. 1, 30. — ² Phi. ip. II, 6. — ³ Psal. LXXXVIII, 23. — ⁴ Ibid. 24. — ⁵ Exod. XXXII, 20. — ⁶ Psal. CXXXVIII, 7. — ⁷ Id. LXXXVIII, 25. — ⁸ Id. XXIV, 10.

nostra; et veritatem, ut impleret promissa sua ; sic et nos ambulantes in via ejus, debemus ei reddere misericordiam et veritatem ; misericordiam, ut miserorum misereamur ; veritatem, ut non inique judicemus. Non tibi tollat veritas misericordiam, nec misericordia impedit veritatem. Si enim per misericordiam judicaveris contra veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam ; non ambulabis in via Dei, ubi misericordia et veritas occurrerunt sibi¹. « Et in nomine meo exaltabitur » cornu ejus. » Quid opus est ut immoremur? Christiani estis, Christum agnoscite.

XXVI. « Et ponam in mari manum ejus : » hoc est, dominabitur Gentibus. « Et in fluminibus dexteram ejus². » Flumina currunt in mare ; cupidi homines in amaritudinem hujus sæculi prolabuntur : omnia tamen genera ista Christo subdita erunt.

XXVII. « Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus » et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam » eum, excelsum apud reges terræ³. » Martyres nostri, quorum natalitia celebramus, sanguinem suum propter hæc credita et nondum visa fuderunt. Quanto fortiores nos esse debemus, videndo quod illi crediderunt? Excelsum enim apud reges terræ illi nondum viderant Christum ; adhuc principes conveniebant in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus. Nondum impletum erat quod in ipso Psalmo sequitur : « Et nunc, reges, intelligite ; eruditimi omnes qui judicatis terram⁴. » Jam ego factus est Christus excelsus apud reges terræ.

XXVIII. « In aeternum servabo ei misericordiam meam, » et Testamentum meum fidele ipsi⁵. » Propter ipsum, fidele Testamentum ; in ipso mediatum est Testamentum;

¹ Psal. LXXXIV, 11. — ² Id. LXXXVIII, 26. — ³ Ibid. 27, 28. — ⁴ Id. II, 2 et 10. — ⁵ Id. LXXXVIII, 29.

ipse mediator Testamenti, ipse signator Testamenti, ipse fidejussor Testimenti, ipse testis Testamenti, ipse hæreditas Testamenti, ipse cohæres Testamenti.

XXIX. « Et ponam in sæculum sæculi semen ejus¹. » Non tantum in huc sæculo, sed « In sæculum sæculi : » quo transibit utique semen ejus, quæ est hæreditas ejus, semen Abrahæ quod est Christus. Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis². Et si in æternum accepturi hæreditatem, ponet « In sæculum sæculi semen ejus. Et » thronum ejus sicut dies cœli. » Throni regum terrenorum sicut dies terræ. Alii sunt dies cœli, ali sunt dies terræ. Dies cœli anni sunt illi, de quibus dicitur : « Tu autem » idem ipse es, et anni tui non deficient³. » Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentes excluduntur, nec qui succedunt manent, sed veniunt ut eant, et pene antequam veniant eunt. Ita sunt dies terræ. Dies autem cœli et illi anni non deficientes, nec initium habent nec terminum : nec ullus ibi dies angustatur inter hesternum et crastinum. Nemo ibi expectat futurum, nemo ibi perdit præteritum : sed dies cœli semper præsentès sunt, ubi erit thronus ejus in æternum. Quod restat, si placet, servemus : quoniam longus est Psalmus, et adhuc vobiscum aliquid in nomine Christi acturi sumus. Reficite ergo vires, non dico animi vestri, nam video quod animo infatigabiles es-
tis : sed propter servos animæ, ut durent in ministerio corpora vestra, aliquantulum reficimini, et refecti ad ci-
bos redite.

¹ Psal. LXXXVIII, 30. — ² Gal. III, 16 et 29. — ³ Psal. XI, 28.

ENARRATIO II

IN EUMDEM PSALMUM LXXXVIII.

SERMO II.¹

De secunda parte Psalmi.

I. Ad reliqua Psalmi, de quo in matutino locuti sumus, animum intendite, et pium debitum exige: eo reddituro per nos qui fecit et nos et vos. Dominus Christus in superioribus Psalmi ex promisso Dei annuntiabatur, et adhuc in his etiam verbis quæ tractaturi sumus, ipse annuntiatur. De illo enim inter cætera paulo superius dictum erat : « Et ego primogenitum ponam eum, excelsum » apud reges terræ. In æternum servabo illi misericor- » diam meam, et Testamentum meum fidele ipsi. Et po- » nam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus » sicut dies cœli². » De his et de omnibus supra ab ipso exordio, quæ potuimus, diximus.

II. Sequitur autem : « Si dereliquerint filii ejus legem » meam, et in judiciis meis non ambulaverint : si justifi- » cationes meas profanaverint, et mandata mea non cus- » todierint : visitabo in virga iniquitates eorum, et in » flagellis delicta eorum. Misericordiam vero meam non » dispergam ab eis³ : neque profanabo Testamentum

¹ Habitus eodem die cum superiori Sermone. — ² Psal. LXXXVIII, 28-30. — ³ Forte legendum, ab eo; quam lectionem postea explicando præfert et vulgarem fuisse significat.

» meum ; et quæ procedunt de labiis meis , non repro-
» babo¹. » Magnum firmamentum promissionis Dei. Filii
hujus David , filii sunt sponsi : omnes ergo Christiani , filii
ejus dicuntur. Multum est autem quod promittit Deus ,
quia « Si Christiani , » hoc est , « Filii ejus dereliquerint ,
» inquit , legem meam , et in judiciis meis non ambula-
» verint ; si justificationes meas profanaverint , et mandata
» mea non custodierint : » non contemnam eos , neque in
perditione dimittam eos : sed quid faciam? « Visitabo in
» virga iniquitates eorum , et in flagellis delicta eorum.
Non ergo tantum misericordia vocantis est , sed et verbe-
rantis et flagellantis. Sit itaque manus paterna super te :
et si filius bonus es , noli repellere disciplinam. Quis est
enim filius , cui non dat disciplinam pater ejus? Det dis-
ciplinam , dum non auferat misericordiam : cædat contu-
macem , dum tamen reddat hæreditatem. Tu si promissa
patris bene agnovisti , non timeas flagellari , sed exhære-
dari. « Quem enim diligit Dominus , corripit : flagellat
» autera omnem filium quem recipit². » Peccator filius
designatur flagellari , cum sine peccato videat Unicum fla-
gellatum? « Visitabo ergo , ait , in virga iniquitates eorum. »
« Sic et Apostolus comminatur : « Quid vultis ? In virga
» veniam ad vos³? » Absit ut dicerent pii filii : Si cum
virga venturus es , noli venire. Melius est enim erudiri in
virga patris , quam in blandimento perire prædonis.

III. « Visitabo , inquit , in virga iniquitates eorum , et
» in flagellis delicta eorum. Misericordiam vero meam
» non dispergam ab eo. » A quo? Ab illo scilicet David ,
cui talia promisi , quem unxi in oleo sancto meo præ par-
ticipibus suis⁴. Agnoscitis eum , a quo non disperget Deus
misericordiam suam? Ne quis forte sollicitus dicat : Quando-

¹ Psal. lxxxviii, 28-30. — ² Hebr. xii, 5-7. — ³ 1 Cor. iv, 21. — ⁴ Psal. xliv, 8.

quidem Christum dicit , a quo se misericordiam suam non
dispersurum esse confirmat , quid ergo peccator? Num
quid enim hoc dixit : Misericordiam autem meam non dis-
pergam ab eis? « Visitabo , inquit , in virga iniquitates
» eorum , et in flagellis delicta eorum. » Expectabas ad
securitatem tuam : « Misericordiam vero meam non dis-
» pergam ab eis. » Et quidem hoc nonnulli codices ha-
bent , sed emendatores non habent : tamen et qui hoc
habent , nihil ab re habent. Quomodo enim a Christo mi-
sericordiam suam non dispergit? Numquid ipse Salvator
corporis vel in terra vel in cœlo peccavit ; qui sedet ad
dexteram ejus , et interpellat pro nobis¹? » A Christo tam-
en : sed a membris ejus , a corpore ejus quod est Ecclesie.
Sic enī pro magno dicit quod ab illo non dispergat
misericordiam suam , quasi non agnoscimus unigenitum
Filium qui est in sinu Patris : non enim pro persona sua
ibi computatur homo , sed una persona est Deus et homo.
Ergo ab eo non dispergit misericordiam suam , cum a
membris ejus , cum a corpore ejus non dispergit miseri-
cordiam suam , in quo et ipse in terra persecutio[n]es patie-
batur , cum jam sederet in cœlo ; et de cœlo clamabat :
« Saule , Saule , » non : Quid persequeris servos meos;
non ; Quid persequeris sanctos meos ; non : Quid per-
sequeris Discipulos meos : sed , « Quid me persequeris²? »
Sicut ergo cum eum sedentem in cœlo nemo persequere-
tur , clamavit : « Quid me persequeris? » cum caput mem-
bra sua cognosceret , et a compage corporis sui caput
charitas non separaret : sic cum misericordiam suam non
dispergit ab eo , a nobis utique non dispergit , qui sumus
membra ejus et corpus ejus. Nec ideo tamen debemus se-
curi peccare , et perverse nobis polliceri , quoniam quid-
quid fecerimus , non perimus. Sunt enim quædam peccata

¹ Rom. viii, 34. — ² Act. ix, 4.

et quædam iniquitates, de quibus quidem disserere atque definire, aut impossibile nobis est; aut si jam esset possibile, certe tempori longum esset. Nemo enim potest dicere esse se sine peccato: quia si dixerit, mentietur. « Si » enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est¹? » Ergo unusquisque pro peccatis suis necessario flagellatur; sed ab eo, si Christianus est, Dei misericordia non dispergitur. Plane si in tantas ieris iniquitates, ut repellas a te virgam verberant, si repellas manum flagellantis, et de disciplina Dei indignaris, et fugias a patre cedente, et nolis eum patrem pati, quia non parcit peccanti; tu te alienasti ab hæreditate, ipse te non abjecit: nam si maneres flagellatus, non remaneres exhaeredatus. « Misericordiam vero, » inquit, meam non dispergam ab eo, neque nocebo in » veritate mea. » Ad hoc enim non dispergetur misericordia liberantis, ne noceat veritas vindicantis.

IV. « Neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non reprobabo². » Non quia filii ejus peccant, ideo ego mendax inveniar: promisi, facio. Pone quia volunt illi etiam cum desperatione peccare, et sic ire omnino in peccata, ut offendant oculos Patris, et exhaeredari mereantur: nonne ipse est Deus, de quo dictum est: « De lapidibus istis suscitabit filios » Abrahæ³? » Itaque dico vobis, fratres, multi Christiani tolerabiliter peccant, multi flagello a peccato corriguntur, et emendantur, et sanantur; multi omnino aversi, dura cervice obnitentes adversus disciplinam Patris, et ipsam omnino Dei paternitatem recusantes, habentes tamen signum Christi, eunt in tales iniquitates, ut non possit nisi recitari contra eos: « Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt⁴. » Non tamen propter hos

¹ Joan. i, 8. — ² Psal. lxxxviii, 35. — ³ Matth. iii, 9. — ⁴ Gal. v, 21.

remanebit Christus sine hæreditate: non propter paleam etiam frumenta interibunt¹: non propter pisces malos nihil ex illa sagena mittetur in vascula². Novit Dominus qui sunt ejus³. Securus enim promisit, qui nos antequam essemus prædestinavit. « Quos autem prædestinavit, illos et vocavit; quos autem vocavit, illos et justificavit: » quos autem justificavit, illos et glorificavit. » Peccant quantum volent desperati: respondeant membra Christi: « Si Deus pro nobis, quis contra nos⁴? » Non ergo nocebit Deus in veritate sua, nec profanabit Testamentum suum. Manet immobile Testamentum ejus, quia ipse sibi præsciens prædestinavit hæredes. Et quæ procedunt de labiis ejus, non reprobabit.

V. Audi ad confirmationem tuam, audi ad securitatem tuam, si te in membris Christi esse cognoscis. « Semel » juravi in sancto meo, si David mentiar⁵. » Expectas ut iterum juret Deus? Quoties juratus est, si semel jurando mentitur? Unam jurationem pro vita nostra habuit, qui pro nobis ad mortem Unicum suum misit. « Semel » juravi in sancto meo, si David mentiar: Semen ejus in » æternum manebit⁶. » In æternum manet semen ejus; quia novit Dominus qui sunt ejus⁷. « Et sedes ejus sicut » sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, » et testis in cœlo fidelis⁸. » Sedes ejus, quibus dominatur, in quibus sedet, in quibus regnat. Si sedes ejus, et membra ejus: quia etiam membra nostra sedes sunt capituli nostri. Videte quemadmodum cætera omnia membra nostra caput portent: caput autem ipsum super se non portat aliquid, sed ipsum portatur a cæteris membris nostris, quasi totum corpus hominis sedes sit capituli. Sedes ergo

¹ Matth. iii, 12. — ² Id. xii, 47, 48. — ³ 2 Tim. ii, 19. — ⁴ Rom. viii, 29-31. — ⁵ Psal. lxxxviii, 36. — ⁶ Ibid. 37. — ⁷ 2 Tim. ii, 19. — ⁸ Psal. lxxxviii, 38.